



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatio Synoptica De Ivdiiciis Ad Lib: II. Decretal:
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

dicem legis pro eo:) illa supponit legem scripto vel verbo præexistentem, quam consuetudo approbat & confirmat. *Gratian. super cap: in istis dist. 4. l. 37. ff. de leg leges enim instituuntur cum promulgantur, firman- tur moribus cum utentium approbantur. Quare dictum, Glossæ & DD. in cap. sopita de cens: Quod duplici jure fulcitur is, cui & lex & consuetudo assistit. non ita accipien- dum est, Suar. sup. cit. lib. 7. cap. 4. num: 15. quasi leges per consuetudinem confirma- tæ duo sint vincula vel jura distincta, sed unum id verò firmitus magisq; indubita- tum, quippe virtualiter quasi ex duplici jure compositum.*

5: Quantum verò ad consuetudinem contra legem, per illam propriè non constituitur jus sed tollitur, quare non tam jus consuetudinis dici debet, quàm jus defues- tudinis: cujus conditiones brevi com- pendio duæ recensentur. *L. fin. cap: ult: de consuet: videlicet ut sit rationabilis, & le- gitimè præscripta. Prioris regulam assi- gnant nonnulli, videlicet eam consuetu- dinem, ut rationabilem censendam esse, quam jura ipsa non improbant, non leges,*
non

non Canones damnant; quæ peccandi occasionem non subministrat, non Divino juri naturali aut gentium repugnat. *Azortom. 1. lib: 3. cap. 17. q. 4. & alij.* sed contra est, quod multæ consuetudines receptæ sint, & contra Canones, leges, & jura inductæ eò, quod essent rationi conformes *Abbas cap. ultimo de consuet.* multæ etiam consuetudines illæso jure Divino naturali & gentium, sine peccato induci possunt, quæ tamen rationabiles non sunt. v.g. consuetudo jejunandi toto anni tempore, audiendi quot diè Sacrum, peregrinandi quovis triduo, disciplinandi quotidie, & castigandi corpus ad aliquot horas, quæ certè consuetudines rationabiles non sunt, præterquam quod vix casus dari posset, quo ex causa aliqua rationabili, consuetudo contraria legi, à tota communitate induci posset. Non ergò solæ consuetudines non repugnantes legi Divinæ aut naturali, sed etiam aliæ rationabiles non erunt, eæ scilicet quæ ratione destituuntur, etiamsi contra rationem non sint. *deducitur ex Alexand: III. Pont: in Concil: Lateranen: celebrato 1197.*

6. Modò